



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 26. Indulgentia Imperatoris erga Donatistas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV. Ius: cum Subdiaconus Crescentianus omnia
 A. C. 320. simpliciter confessus sit, recedat. Tum
 Subdiaconus Januarius ingressus est,
 quem similiter interrogarunt. Sed reli-
 qua hujus quæstionis judicialis non ha-
 bemus.

§. XXVI.

*Indulgentia Imperatoris ergo
Donatistas.*

Silvano itaque convicto, quod tempore
 persecutionis sacra vasa tradidisset,
 quodque per malas artes, & Simoniam
 ad Episcopatus apicem ascendisset, Zeno-
 philus, quæ acta essent ad Imperatorem
 Constantimum rescripsit, adjiciens Silva-
 num in Numidia schismatis causam esse,
 & seditionis fautorem, atque Catholico-
 rum Basilicam urbis Constantinæ vi oc-
 cupasse. Quibus permotus Constanti-
 nus eum cum quibusdam suæ factionis
 in exilium pellit. Modico post hæc tem-
 pore Episcopi Donatistæ Libellum suppli-
 cem Constantino tradiderunt, qua roga-
 bant, ut salva sibi esset libertas, nec cum
 Cæciliiano communicare cogerentur, cum
 libentius ultima essent passuri; rogabant
 quoque, ut Silvanum, aliosque exules
 revocaret; hæc omnia a Constantini fa-
 cilitate impetrarunt, nullam quoque in-
 juriarum rationem habentis, quibus Cæ-
 ciliiani famam denigrabant, postquam
 ejus

A. 321.

Coll. chart.

3. c. 544.

Breviar.

c. 21.

Aug. ep.

151.

ejus innocentia tam luculenter, & publi- Sæculum IV.
ce fuisset comprobata. Scripsit Verino A. C. 321.
Africæ Vicario, se Donatistas ab exilio
revocasse, Deoque cœci furoris vindic-
tam esse relinquendam. Data erat hæc
epistola tertio Nonas Maji Crispo secun-
do, & Constantino juniore Consulibus,
nempe 5. Maji anno 321. elapsis annis A. C. 321.
quatuor, & sex mensibus, postquam pri- Aug. post.
mos mense Novembri anno 316. in exi- coll. c. 33.
lium miserat. Ita Donatistæ Religionis
libertatem consecuti, nihilo meliores,
quam fuissent, effecti sunt.

Donatistarum Schisma Romam usque Optat. l. 2.
extensum; ubi quidam sedem sibi eligen-
tes, petierunt Episcopum, qui conventibus
eorum præsideret; missus est ex Africa
Victor Garbensis, forte idem, qui adfue-
rat Concilio Cirthano, ex traditoribus Sup. l. IX.
consistente, anno 305. Quamvis plus §. 15.
quam quadraginta Ecclesiæ jam tunc Ro-
mæ essent, nullam tamen Donatistæ obti-
nere potuerunt, sed extra urbem in ca-
verna quadam convenire compulsi sunt,
quam viminea crate incluserunt, & quia
locus iste in monte situs erat, Montenses
dicebantur. Tempus, quo illuc conve-
nire cœperint, exacte non scitur.

§. XXVII.